



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio Practica ...

De Conversatione Apostolica A Curatoribus Animarum piè & fructosè
instituenda - Complectens vatios & solidos modos juvandi & consolandi
diversorum Statuum Personas afflictas, præcipuè ægras & captivas

Lohner, Tobias

Dilingae, 1677

Memb. II. Quomodo ad Communionem disponendi sint Infirmi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48248](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48248)

so, pro me, & optatam peccatorum veniam, veramque vitæ emendationem mihi, aliisque Peccatoribus impetrate. Amen.

M E M B R U M II.

Quomodo ad Communionem disponendi sint Infirmi.

I. Etiam hinc duo curanda sunt Operario, scilicet ut & desiderium excitet S. Viatici in Infirmo; & ut eundem iure in illo dignè ac fructuosè sumendo.

II. Pro desiderio obtinendo sequentia observabit 1. Necessitatem illius pro hoc maxime tempore ostendet; cum enim jam ex Ægypto hujus mundi abeundum illi sit, prius oportet Agnum Paschalem sumere, ut eodem confortatus, iter suum lætus & securus ingrediatur, & per mare rubrum SS. Passionis Christi salvatus, ad ripam alterius vitæ securus transeat. Præterea dum cum Elia ad montem Horeb, id est, cæli pergit, imaginetur sibi adstantem S. Angelum Custodem, & dicentem: Surge, & comede; magna enim tibi restat via. Tandem hoc tempore certamen maximum & periculosissimum est suscipiendum, ergo accedendum est ad mentem, quam, teste S. David, paravit DEUS in conspectu suo adversus eos, qui tribulant nos; ergo in subsidium vocandus est is, qui fortis est, & potens; si enim Deus pro nobis, quis contra nos? si consurgant adversum nos castra, non timebit cor nostrum. 2. Utilitatem quoque hujus S. Viatici ex illa Ecclesiæ Antiphona demonstrabit: O Sacrum convivium, in quo Christus sumitur (vel Dux, Consolator, & Protector in ultimo itinere futurus) recolitur memoria passionis eius (ut & ipse excitetur ad protegendum & roborandum Infirmum, ne pereat tantum pretium pro ipso expensum) mens impletur gratia (& quidem tantò copiosius, quantò magis se disposuerit per desiderium ad illam recipiendam) & futura gloria pignus datur; quis autem tam pretiosum pignus non libenter accipiat, maxime hoc tempore, in quo gravissimum æterni naufragij periculum subeundum est, atque adeò merito, sicut Albuquerque in periculo materialis naufragij constitutus, Infantem suum arripuit, & versus cælum tollens rogavit Deum, ut vel propter innocentiam hujus Infantis parcere omnibus

in navi versantibus dignaretur, ita & ipse æger ad averte-
dum spiritualis naufragij gravius periculum Christum Fi-
lium æterno Patri offert.

III. Pro actuali verò communionē fructuosè peragenda
sequentia observet Operarius. 1. Ut per pios aliquot actus
disponat Infirmum ad sacrum viaticum digniùs suscipien-
dum. Quales e. g. iterum sequentes esse possunt.

O dilectissime Domine JESU Christe, credo fir-
missimè, te in hoc Sacramento cum corpore & ani-
ma, cum Divinitate & Humanitate præsentem esse,
adoro te proinde, & veneror omni possibili reveren-
tia & submissione, optòque, ut ab omnibus Homi-
nibus summus tibi in hoc Sacramento honor, cultus-
que exhibeatur.

O pijsime JESU, agnosco cum summa gratitudi-
ne, & gaudeo, quòd ad me diverti desideres. Desi-
dero proinde & ego te summa cum reverentia & pu-
ritate suscipere.

O JESU benignissime, ecce cum profundissima
demissione offero tibi cor meum, & universa mem-
bra mea, rogòque, ut illa secundum beneplacitum
tuum adornes, dignamque in ijs tibi habitationem
constituas.

O Mitissime JESU, quemadmodum desiderat cer-
vus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad
te. Veni ergo, ô desiderium animæ meæ, & noli
tardare.

O JESU amantissime, diligo te ex toto corde meo,
quia tu me tantopere amâsti, & in pignus amoris
tui sanctissimum corpus & sanguinem dare digna-
tus es.

O JESU potentissime, mihi adhærere tibi DEO
meo bonum est, & ponere in te spem meam. Ah ve-
ni, ut non confundar.

O JE-

O JESU dilectissime, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea.

IV. Ubi SS. Sacramentum allatum fuerit, hortetur, ut illud salutet sequentibus verbis:

Ave verum corpus, natum ex MARIA Virgine, verè passum, immolatum in cruce pro homine; cuius latus perforatum fluxit undâ sanguine, esto mihi prægustatum mortis in examine. O dulcis, ô pie, O JESU Fili MARIÆ, miserere mei. JESU, quem velatum nunc aspicio, oro, fiat illud, quod tam sitio, ut te revelata cernens facie, visu sim beatus tuæ gloriæ.

V. Si Infirmus pro solatio suo petat, ut Sacerdos antè, quam Sacram Hostiam illi porrigat, nonnihil eam teneat, ut vel Symbolum Apostolorum, vel formulam Votorum, aut aliud quid recitare possit, non erit ei deneganda hæc devotio, utpote quæ & ipsi solatio, & aliis non modicæ ædificationi esse possit.

VI. Sumpto Sacro Viatico, hortetur illum, ut in pios affectus erumpat (nisi ipse per se id facturum sciatur, tunc enim nonnihil in quiete relinquendus est.) dicatque v. g. Inveni, quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam. Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit.

O Anima Christi sanctifica me, corpus Christi salva me, sanguis Christi inebria me, aqua lateris Christi lava me, Passio Christi conforta me, ô bone JESU exaudi me, intra vulnera tua absconde me, ne permittas me separari à te, ab hoste maligno defende me, in hora mortis meæ voca me, & jube me venire ad te, ut cum Sanctis tuis laudem & glorificem te in sæcula sæculorum. Amen.

VII.

VII. His dictis vel ab ipso ægro, vel Operario præcuncto, si voluerit Infirmus parùm alloqui adstantes, qui SS. Sacramentum sunt comitati, poterit ipsi permitti, de quo tamen ante adventum S. Viatici quærendus est. Quòd si ipsimet hoc facere non placeat, aut ob infirmitatem non possit, non parùm fortè prodesset ad ægri solatium, & adstantium ædificationem, si Operarius hoc vel simili modo eos alloqueretur (si quidem mox etiam extrema Unctio non sit danda; alioqui enim post hanc absolutam id facere posset) Per dilecti Christiani, cum præsens Infirmus ob Infirmitatem suam officium suum facere commodè non possit, me, ut vices ejus supplerem, rogavit. Agit ergo inprimis omnibus & singulis tum præsentibus, tum etiam absentibus summas gratias pro omnibus beneficiis, quæ unquam ipsi aliàs, & nunc etiam per extremum hoc charitatis Christianæ officium præstiterunt. Subinde veniam ab omnibus demissè petit, si illorum ullum quacunque tandem ratione unquam offendit, & vicissim omnibus & singulis ex corde ignoscit, si quis ipsum unquam quomodocunque offendit. Denique, quoniam nunc in eo statu constitutum se videt, in quo vel maximè aliorum auxilio indigeat, impensè se omnium devotis precibus commendat, ut per eas felicem ipsi ex hac vita transitum impetrare conentur; spondetque vicissim, se quoque hoc beneficium compensaturum, & ubi ad optatum DEI conspectum venerit, pro omnibus sedulò DEUM rogaturum, ut & ipsi secundum ipsius sanctissimam voluntatem vitam suam christianè transigere, & sanctè, pièque claudere possint.

VIII. Post hæc juvare poterit ægrum in gratijs pro S. Viatico agendis, quod hoc vel simili modo præstare potest:

O dilectissime mi Domine JESU Christe, credo iterum firmissimè, quòd apud me verè diverti, meque tuâ divinissimâ præsentia sanctificare dignatus sis. Adoro proinde te, laudo, & glorifico te summâ, quâ possum, submissione ac reverentia, omnesque sanctos, ut idem mecum faciant, meosque defectus suppleant, invito.

O JESU mi piissime, gratias tibi amplissimas ago, quòd

quòd non solùm hoc Sacramentum instituire, sed
me etiam toties & hodie maximè SS. corpore tuo re-
ficere dignatus sis; atque in debitam gratiarum actio-
nem offero tibi hoc ipsum sanctissimum corpus tuum
cum omnibus Sacrificiis & Communionibus, quæ
unquam hæctenus peractæ sunt, aut deinceps pera-
gendæ; uti & me ipsum cum omnibus, quæ habeo &
possideo, rogòque demissè, ut hanc oblationem
benignè acceptare, atque acceptam habere velis.

O JESU amantissime, nunc iterum agnosco inef-
fabilem charitatem tuam, firmiterque statuo, te vi-
cissim ex corde toto diligere, atque ideo jam nunc
omni iterum peccato, & occasione peccandi penitus
renuncio.

O JESU benignissime, in te omnis mea spes ac fi-
ducia reposita est, per amorem igitur, quo hoc Sa-
cramentum instituisti, mèque jam iterum eodem
refecisti, rogo te, ut, quidquid ad tuam majorem
gloriam, meamque salutem magis expedire cogno-
veris, mihi largiri, præcipuè verò verum pecca-
ti odium, virtutis amorem, patientiam in adver-
sitate, & felicem ex hac vita transitum concedere di-
gneris.

O JESU mi clementissime, commendo tibi etiam
omnes vivos & defunctos, præcipuè meos Superio-
res, Benefactores, Consanguineos, Amicos, & Ini-
micos, & eos, qui se meis precibus commendave-
runt, aut meæ curæ commissi fuerunt, & iterum
suppliciter rogo per SS. corpus & sanguinem tuum,
ut defunctis quidem requiem, viventibus autem ve-
rum hujus SS. Sacramenti amorem, & omne id, quod
ad salutem corporis, animæque illis expedire judica-
veris, largiri benignissimè digneris. O JE-

O JESU mi suavissime, non dimittam te, nisi mihi & omnibus, quos tibi nunc commendavi, benedixeris.

Benedicta sit SS. Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Benedictus Christus sub hoc SS. Sacramento absconditus & latens. Benedicta sit immaculata Virgo MARIA, quæ nobis hoc Christi corpus peperit. Benedicti sint omnes Cælitæ, qui unquam hoc Sacramentum dignè sumpserunt, nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

M E M B R U M I I I.

Quomodo Infirmi ad S. Unctionem disponendi sint.

I. **Q**uæ circa priora duo Sacramenta Operario observanda dixi, eadem etiam circa hoc observare oportet, scilicet ut & desiderium excitare ad hoc SS. Sacramentum, & ad illud fructuosè suscipiendum juvare dignetur.

II. Ad desiderium excitandum, sequentes observet induftrias. 1. Ostendat fructus, quos secum id affert; quosque S. Jacobus c. 5. indicavit, dum dixit: *Infirmatur quis ex vobis? inducat Presbyteros Ecclesie, & orent super eum, unguent eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, remittentur ei.* Quos effectus paulò fusiùs aut clariùs ei explicet, & per exempla confirmet. Et primò quidem ostendat, multos per extremam unctionem corporis etiam sanitatem adeptos fuisse; & verò etiam ipsum certò obtenturum, si conducatur ad ipsius salutem. Deinde ostendat, peccata eidem remitti, uti & peccatam peccatis debitam, si non totam, certè ex parte. Tandem verò robur ad morbi dolores fortiter sustinendos, uti & ipsum dæmonis impetum, atque tentationes superandas concedi. Hinc Maria Oegniacensis, quoties ægri ungebantur, vidit Christum cum innumeris Cælitibus cubiculum ægroti ingredi, & infirmum roborare, dæmones pellere, animam mundare, eamque mirè illuminare, uti Surius in vita illius refert. 2. Ostendat illi modum, quomodo cum fr-